

Compendium

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 * 4 *



¹⁸ XIX.
CORONIS

an 77

Collegio Politi-

co gemino,
Disputatorio
ET
Oratorio,

Cl 4157

à

Præstantissimo & Humanissimo Viro,

Dn. M. BARTHOLOMÆO BECKIO,

SS. Theologiæ Studioſo, & Alumno
Electoralis,

Hac æſtate Bono cum DEO ab-

ſoluto,

Impoſita

à

CASPARO MICHAELE WELSCHIO

Lipſ. Opt. Art. & Phil. Baccal.

Die III. Menſis Octobris.

LIPSIÆ

In Officina POETICA.

ANNO MDCXXII,

V I R O

*Præstantissimo, Humanissimo ac litera-
tissimo,*

Dn. M. BARTHOLOMÆO BECKIO
S S. Theologiæ Studioſo, & Alumno Electorali,
PRÆSIDI.

N E C N O N

*Ornatissimis, Politissimis, & Doctissimis
Viris-Juvenibus,*

Dn. TITO AXENIO, Husensi Hofsato.

Dn. MARCO WALTHERO, Augustâ-Vindelico.

Dn. DAVIDI RHENISCHIO, Vratislaviâ-Siles.

Dn. JOACHIMO RAMPUSCH, Vratislaviâ-Siles.

Dn. DAVIDI FRITZSCHKIO, Chemnicensi.

Dn. DAVIDI LINDNERO, Chemnicensi.

Dn. GODOFREDO MAYERO, Lipsiensi.

Dn. MICHAELI KALERTO, Cizenſi.

Dn. MELCHIORI STILLERO, Lipsiensi.

*Illi Præceptori æviternum suspiciendo: his Amicis &
Commilitonibus suis suavissimis,*

*Carmen hoc tenui avenâ cantatum, in gratitu-
dinis & amicitia Symbolum ac Mnemofy-
num,*

Offert

AUTOR.



Mirror Hamadryadas florere vigereq;
Musas,

Inter tot strages, diriq; incommoda belli,
Quæ Martis struit ancipitis malesuada
Maxima nam bellis teritur civilibus ætas, (propago
Viribus atq; suis ruit effera Teutonis ora,
Quam neq; crudeli vastavit acinace Turca,
Noxia nec domuit rabidâ Tartaria turbâ,
Nec Stratiota alius, nec Drusus & Hannibal atrox.
Heu quot jam clades Bellona fervidus ardor,
Nil nisi bella crepans, causat, quot tristia fata?
Quotq; catarrhæctis Christiiani sanguinis undat
Campos? dum fremit & frendet, dum diripit urbes
Magnificas, rigido spatiosa palatia nisu
Destruit, & dirimit penetralia templa Minervæ,
Sunt ubi Doctores, teneræ qui dædala publi
Munera linguarum, & Sophiæ mysteria pandunt.

Mirror Hamadryadas florere vigereq; Musas!
Ipsa Ceres quamvis fuerit mitissima Mater
Hactenus in campis frugum, tamen Æquoris Atlas
Neptunus multos corrumpit flumine fructus.
Cepit avarities stimulos hinc dira colonum;
Inde parandarum graviora incendia rerum;
Deficit hinc victus, magna hinc penuria amictus.

Inde nequit studiosa cohors, addicta Camœnis,
Sollicitis oculis lustrare Heliconia tempe,
Bellerophontei per qua fluit unda caballi.

Miror Hamadryadas florere vigereq; Musas!

Nec medium, aut modus est, mala quo superare quea-

Quæ struit Icaro nisu Cacodæmonis obses, (mus,

Nummiperda malus, fidus Plutiq; Vasallus,

Qui per fasq; nefasq; suos corradere in usus

Novit divitas, hominumq; peculia egentum,

Non sine permagno sudore laboreq; parta,

Æmulus Harpyia rapit, atq; exenterat ungue

Furaci loculos auro argentoq; tumentes;

Hic cum possideat bona plurima, plurima poscit,

Immemor ipse DEI, virtutis & immemor omnis,

Usuris socios deglubit, & exiit astu.

Indè cohors Charitum, Sophiæq; dicata juvenus

Vertere non potis est sacra volumina Phœbi,

Illi dum nummos exsuxit, hirudinis instar,

Qui nummos adamat, sacrum ceu numen, avarus.

Summa: Gravis rerum est motusq; metusq; per orbem.

Hinc miror nostras viguisse, fuisseq; Musas

Hactenus incolumes, & nulla incommoda passas!

Verùm, quid miror? quorsum mea carmina? quor-

Progredior? Mea mens mirari desine, JOVAM (sum

Respice, cui soli hæc benefacta accepta ferenda.

Ille est, undè fluit cunctarum copia rerum.

Ille

Ille est, qui Musis nostris benedixit abunde,
Ille est, pro meritis dignas cui solvere grates
Evalet haut quisquam, vires licet advocet omnes.
Audendum tamen est, nostra & monstranda voluntas.

Ergo perpetuo qui solus numine torques,
Atque regis sceptro spatiosa palatia cœli
Stelliferi, vastum mundi qui dirigis orbem
Nutus arbitrio, Pelagi moderaris & Æquor
Lati vagum; æqualisq; Parens altithrone Nati:

Tu quoque, Nate Dei, Patris unica chara propago,
Cui rerum cunctas Genitor commisit habenas,
Cum neque flammigeri latissima mœnia Olympi
Essent, nec mundo præberet lumina Phœbus.
Qui nostram sortem miseratus, ab æthere celso
Venisti in terras, & lamentabile seclum,
Virginis ex utero natus, mortemque tulisti
Morte tuâ nostram, placâsti nos quoque Patri:

Et Tu, qui Virtus, Digitusque, Ignisque, Jehova es,
Spiritus alme, Patri, Nato quoque numine compar,
Optime Solator, torpens ubi pectora nostra
Mœror habet, dulcem nostris qui sensibus auram
Cœlitus inspiras, pulsa & formidine mentes
Lætitiæ radijs collustras, paceque firmas:

O Sacro sancta Triasque, Monasque, Monasque, Triasque,
Quas Tibi pro meritis referat mens indiga grates?
Vix ullas poterit, quæ munera talia adæquent.

Ergò Tibi dabimus, si nil conceditur ultra,
Quod poterit Mens nostra dare. En Cor accipe nostrum
Cunctis pro meritis, queis nos tua dextra beavit.
Scilicet haut procul hinc Epidemia bella coruscant;
Nostra tuis tamen est Academia tuta sub alis.
Et miseranda fames nimium res frangit edules;
Nostra tuis tamen est Academia tuta sub alis.
Tempora quin etiam graviter diröxat Avarus;
Nostra tuis tamen est Academia tuta sub alis.
Utq; diu tuta esse tuo sub numine possit,
Da veneranda Trias, tandem quo Ecclesia partem
Hinc ferat alma suam, nec non Respublica fructum.
Tu belli fluctus nutu compesce potenti,
Turbatas illis in pristina fœdera mentes
Dirige, & optatam nobis largire quietem.
Conserva porrò, qua tempora cara & Avari
Eripere attentant nobis, noxamq; famemq;
Pelle, tuo gratis cumulans nos munere in ævum.
Tu DEUS es noster, cur non, quod postulat esus,
Suppetat afflictis, proprio quos numine servas?
Ut tua nobiscum clementia dia perennet
Posthac, succiduo te oramus poplite cordis.
Sic nos neutiquam Pater Orpheus ipse canendo
Æquabit, chordis licet undiq; traxerit ornos,
Sed te multisono celebrabunt pectora plectro
Nostra, tuæq; canent merita præconia laudis.

Ca-

Ceterà, post *J O V A M*, tibi, *Præstantissime Becki*,
Nos non exiles grates debere fatemur.
Scilicet, insigni virtutis & artis amore,
Aoniam nobis sacrati Heliconis alumnis
Ipse propinasti lympham, de fonte fluentem
Claro Thespiadum, grato dulciq; susurro.
Jam mihi cum quodam si te conferre liceret,
Tunc cum Gallinà vellem, quæ sedula pullos
Congregat, atq; fovet latis calidisq; sub alis,
Frigore ne pereant, fiant aut præda rapaci
Aligerùm generi, struit his quod pessima quæq;
Plurima grana legit, queis famem pellere possit
Pullorum, hæc illis præmandit & inserit ori.
O simile egregium! mores quod pingit ad oclum,
Vir præclare, tuos, Sophiæq; experte Magister.
Tu nos ceu pullos duxisti, granaq; nobis
Dulcia monstrasti doctrina, atq; inseruisti
Ori, ceu præmansa Sophùm præcepta virorum.
Pulli Gallina Matri *Ἐρεπτήρια* solvunt,
Ergò ut solvamus tibi *παυδευτήρια*, priscus
Mos jubet, & suadet pietas, amor urget honestus.
Verùm, quale Tibi possimus ferre *Minerval*,
Quodq; tuis meritis æquè respondeat, & quod
Symbolon esse queat certum immortalis honoris,
Quem tibi debemus cuncti pro munere tanto,
Quo nobis placidà, quid sit *Respublica*, mente

Ha-

*Hactenus expōsti, quid & Oeconomia, & amœnum
Rhetorices Usū monstrāsti voce sūavi?
Inuenio nullum, præter gratam atq; paratam
Omnibus in rebus mentem, cultumq; decentem.
Hæc duo spondemus tibi, nec non cuncta uouemus
Prospera, concedat tibi quæ DEUS altus & almus!*

SOLI DEO GLORIA.



Id 4206
g

ULB Halle 3
004 167 287



f
56


+90
Stk. 18 n. 25 nicht in FICA,
da Hschr.

EO-By
Jul. 07

24 VD 17

M







18 XIX.
CORONIS

an 77

Collegio Politi-

co gemino,
Disputatorio

ET
Oratorio,

Cl 4157

à
Præstantissimo & Humanissimo Viro,
Dn. M. BARTHOLOMÆO BECKIO,
SS. Theologiæ Studio, & Alumno
Electoralis,

Hac æstate Bono cum DEO ab-
soluto,
Imposita

à
CASPARO MICHAELE WELSCHIO
Lips. Opt. Art. & Phil. Baccal.

Die III. Mensis Octobris.

LIPSIÆ
In Officina POETICA.

ANNO MDCXXII.